

solacio conscientiarum. Nemo docebat peccata remitti per fidem in Christum. Doctrina satisfactionum carnificina erat conscientiarum. Sacramenta impie prophanata sunt, postquam recepta est opinio, quod ex opere operato iustificent. Et haec opinio doctrinam fidei prorsus oppressit, & multiplicem Idolatriam peperit. Traditiones humanae plus quam labyrinthi erant, quia partim Iudaicis ac superstitiosis, partim tyrannicis interpretacionibus, in infinitum auctae fuerant. Postea relaxatio traditionum collata fuit ad questum. Haec vicia nostri reprehenderunt, non ut Ecclesiasticam politiam dissoluerent, sed ut gloriam Christi illustrarent, ut Euangelium nativae puritati restituerent, ut pijs conscientijs consulere. Neque nunc possunt deserere patrocinium veritatis, cum Christus dicat, Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in caelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in caelis est. Nunc igitur rogamus oes bonos viros, ne de nobis, tantum ex aduersariorum scriptis aut clamoribus iudicium faciant, qui miris technis & calumnijs veritatem obruere conantur, sed quod aequissimum est, audiant nos quoque & causam totam cognoscant, quae cum ad gloriam dei, ad religionem, & ad salutem animarum pertineat, nemini debet esse ignota.

PRAEFA